



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Fructus III. Confessionis integritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

verum vix unam, alteramve Meditationem peregerat, cum adeo se immutatum, tantoque DEI timore, & vitæ emendandæ desiderio correptum sensit, ut deinceps Speculum erit virtutis, qui offendiculum fuerat, multosque suo exemplo ad eundem solitudinem uno saltem die frequentanda incitavit.

### Tertius Fructus.

#### Confessionis integritas.

Tertius fructus est *Confessionis* singulari cum dolore, & latiusque institutæ *integritas*: nam, ut testè advertit P. Petrus Manrique in citato libello Sacrorum Tempe exempl. 17. 3. Multum differunt inter se Confessio quietè, attentèque (ut in Exercitiis fieri solet) instituta; & ea, quæ inter occupationes suscipitur; qui enim soli DEO, suoque Magistro vacat tempus habet sufficiens & rationes cognoscendi peccati, & commentationes idoneas scelerati ejus aperiendæ, & que adeo est benè comparatus ad justum dolorem adipiscendum, & inde ad mirabiles Sacramenti, sanguinisque Christi, qui illic impertitur, fructus percipiendos; quibus auxiliis, cum plerumque careant ij, qui extra hanc sacrosolitudinem Confessionem peragunt, haud facilè quoque virtutem hujus Sacramenti tam copiosè experiuntur. Enim verò priores similes sunt Reo criminum ante Judicem constituto ubi ex una parte Testes assistunt, patrata illius facta ex probantes; ex altera parte Exactor seu Fisco Præfectus gravitatem eorundem ostendens, ac veluti trutinam comminans, unde fieri non potest, ut Reus non cohorreat, & que peccavisse doleat; posteriores verò similes sunt Reo contra quem Testes sine Exactore, aut Exactor sine Testibus aut utriusque in loco tumultibus personante, vocisque iniquorum percipiatur acculatio, ipsaque delictorum exprobatio, & non etiam dolor, & Erubescencia concipitur, id quod sequenti exemplo l. c. confirmat Manrique. Quidam, in qua confessioni de tota vita instituendæ se includendum dediderant, quem assidua distractiones & monstra imaginum male habebant, literis, ullive alteri rei vacare permittebant, omnino existimantem omnes Homines iisdem infestari turbelibus, deoq;

deòque neque remedia circumspicientem, neque conqui-  
rentem. Itaque peractâ homologeli in Exercitiis porro per-  
gens, vidensque consueta vanuisse phantasias, vicissim ani-  
mum esse pacatum, ac liberum, omniumque actionum com-  
potem, ita ut, quod liberet, sine turbatione faceret, legeret,  
studeret, oraret quietè, se ipse admiratus rem omnem Magi-  
stro enarravit, qui eum hortari & animare institit, gratèque  
DEO agere iussit, cum alia commemoraret exempla eorum,  
qui obita ritè in secessu confessione generali variis à DEO  
gatiis sunt donati, pars corporibus à variò malo liberatis,  
pars contra Scrupulos & importunas cogitationes armati,  
quemadmodum ipse & alij aliis molestiis ac vexationibus  
suo remedio exempti.

### Quartus Fructus.

#### *Pœnæ temporalis remissio.*

Quartus fructus est *Pœnæ temporalis peccatis debita re-  
missio*: ad quam obtinendam variè conducunt Exercitia; in-  
primis quidem quia ad perfectum dolorem de peccatis dis-  
ponunt, qui interdum adeò intensus esse solet, ut meritò  
sperari possit, de eo, qui ejusmodi dolorem elicit, illa Chri-  
sti verba ad S. Mariã Magdalenã olim dicta verificatum iri:  
*Remittuntur ei peccata multa* (etiam quoad ipsam pœnam,  
aut partem illius) *quoniam dilexit multum*. Deinde ve-  
rò etiam ad Pœnitentiã opera, (quæ Specialiter ad satisfac-  
tionem pro pœna peccatorum ordinata sunt) tum ipso  
Exercitiorum tempore, tum post finem illorum suscipienda  
non modicè incitat; & præterea ad variarum virtutum præ-  
stantissimos actus eliciendos tum in ipsis Meditationibus,  
tum extra illas creberrimam occasionem offert; & tandem  
quod præcipuum est, per plenariarum Indulgentiarum, quæ  
iis, qui octo aut decem diebus hæc Exercitia colunt, con-  
cessæ sunt impetrationem, omnem peccatis debitam pœnam  
relaxant, quæ quidem gratia tantò certius sperari  
potest, quantò justior est causa, ob quam  
ejusmodi indulgentiæ sunt  
concessæ.